
47

EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM POPULUMQUE UNIVERSUM

ANCONITANAE ET HUMANENSIS

DIOECESEOS.



ROMAE MDCCCXXIII.
EX TYPOGRAPHEO CONTEDINIANO
AD THERMAS AGRIPPAE
Permissu Praesidum.

JOANNES FRANCISCUS

TITULO

SS. NEREI ET ACHILLEI

S. R. E.

PRESBYTER CARDINALIS FALZACAPPA

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS

EPISCOPUS ANCONITANUS ET HUMANENSIS
COMES HUMANAE.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS

ORDINI CANONICORUM, ANIMARUM CURATORIBUS, UTRIQUE CLERO, OPTIMATIBUS, POPULOQUE UNIVERSO DIOECESIS SUAE

Salutem a Domino sempiternam.

Ubi primum, *Ven. Fratres*, *et dilectissimi in Christo Filii*, a PIO VII. Pont. Max., cui universi Christiani gregis non agnos modo, sed etiam oves pascendi, ac gubernandi summa a Deo potestas tradita, et imperium, ex Atheniensi Archiepiscopatu ad lectissimam Anconitanam, et Humanensem Ecclesiam regendam me, quamvis immeritum, designatum accepi, statim, fateor, tam acri percitus dolore, tam gravi tristitia affectus, ut vox faucibus haeserit. Neque jam amplissimus honoris gradus, in quo

singulari ejusdem Pontificis maximi beneficentia fueram simul collocatus, ut in Patrum Cardinalium Collegium essem adscitus, me gravissimum Pastoralis muneris onus quam maxime reformidantem, quidquam recreare valuit, ac reficere.

Quod tamen non poteram ipse, sane paterna PII VII. vox effecit, quem quidem Parentem vere amantissimum expertus semper sum, et cujus voluntati, ac nutui jam inde ab ejus sacratissimi Principatus initio obedire, atque omnino acquiescere consuevi plurimis, iisdemque difficillimis in muneribus, quibus supra modum fueram ab eodem ipso cumulatus. Ille enim me tantopere metuentem, et pene fractum erexit, bonoque animo esse jussit, simul omnem in eo spem ponere, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, quique non deserit quaerentes se.

Ita non parum recreatus, et jactans omne cogitatum meum in Domino, Anconitanae, et Humanensi Ecclesiae animo aequo, immo vero etiam gaudenti, et libenti sacro me devinxi connubio, eoque magis, quod probe noverim omnium vestrum orthodoxam fidem, religionem, pietatem, morum suavitatem, ingenii docilitatem, animorumque consensionem, quo factum omnino est, ut in tanta rerum conversione, in tanta temporum acerbitate, atque inter tot debacchantes undique errores, quos animus meminisse horret, luctuque refugit, stabiles permanseritis in fide, et in lege Domini, atque in viis mandatorum

ejus inoffenso pede ambulaveritis. Et sane quid boni non sperandum ab Christiano populo, penes quem mortales conquiescunt, et tam religiose coluntur exuviae tot sanctorum Praesulum, quos, dum vixerint, habuit ille doctores, ac magistros, nunc vero patronos, suffragatores in coelo? Quid ab illius urbis civibus, qui non modo sanctum CYRIACUM tanto pietatis sensu venerantur, verum etiam ejus fidei haeredes esse gloriantur, fidei, inquam, quam ille hausit ab ipso vivificae Crucis ligno Redemptoris nostri CHRISTI JESU sanguine purpurato?

Neque vero me latet, quibus, quantisque viris in Anconitana, Humanensique Cathedra succedam, ut vereri jure posse videar, ne ob mearum virium infirmitatem vetus, et eminens istius Cathedrae splendor, et decus non parum obumbretur, atque in indigno haerede pene deficiat. Scio enim, Beatum Antonium Fatati ab amplissimo, eodemque toto orbe celebratissimo Canonicorum Vaticanae Basilicae Collegio, ex quo et ipse per plures annos, ad Ecclesiam istam moderandam fuisse evocatum. Novi Prosperum Lambertinium, qui postea Benedictus XIV. Pont. Max. tum Canonici in eadem Basilica, tum etiam a Secretis munere Sacrae Congregationis Concilii, quo et ego, perfunctum, in eadem ista Cathedra fuisse collocatum, quam quidem Cathedram tam sapientissime rexit, totque muneribus liberaliter cumulavit. Possem tot alios commemorare cum doctrina, tum omni pietatis laude

praestantissimos, quos tamen vos jam optime nostis, quosque iccirco silentio premens, satis habeam nominatim appellare postremos duos Patres Cardinales, Vincentium Ranutium, virum sane eximium, et Nicolaum Rigantium, qui familiarissimus, mihique conjunctissimus, omni virtutum apparatu refulsit, quemque Anconitana Civitas luget adhuc. Enimvero quid mihi, et illis? quae comparatio lucis ad tenebras? At quo rebus in omnibus inferior, immo nullo modo cum ipsis comparandus, eo etiam validius, Deo juvante, enitar, ut eorum omnium objectis exemplis, si minus assequi, illorum tamen vestigia a longe persequi possim, atque ita adimplere pro viribus ministerium meum. Hac porro mente, animoque vos omnes, *Ven. Fratres, et carissimi in Christo Filii*, Pastorali hac Epistola alloquor, et vestram urgeo caritatem, ut commissum mihi Christianum gregem junctis simul studiis facilius regere, ac gubernare valeam, neque perdam ex eis quemquam, quos Pater coelestis meae fidei tradidit, et quos aliquando de manu mea requiret.

Ac primum vos compello, *amplissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici*, qui lapides Sanctuarii, et Pastoralis sollicitudinis participes estis. Pergite, precor, alacres semper vos praestare in excubiis Domini, et quanto caeteris honoris gradu antecellitis, tanto etiam vehementius luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Neque vero solliciti minus sitis servare unitatem Fidei in vinculo pacis.

Id ipsum vobis dictum volo, *Collegialium Ecclesiarum Canonici*; quibus enim munus idem, eadem etiam sunt praestanda.

Vos vero, qui *animarum Curatores*, atque adeo adjutores praecipui, et commilitones mei in animarum salute curanda, mementote, quaeso, semper, unam, eamdemque et vobis, et mihi futuram sortem in districto judicio, quod aliquando iis, qui praesunt, fiet. Haud sum nescius, qua diligentia, assiduitate, cura vestri operosi muneris partes adhuc obieritis; sed vigilate, iterum dico, vigilate, ne communis hostis, qui tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret, clam irrepat, et superseminet zizania in medio tritici. Resistite ergo fortes in armatura fidei, in clypeo justitiae, et Christianam plebem vestrae curae traditam docete continenter verbo, docete exemplo, ut vineam meam, quam et vestram dixerim, una mecum solliciti excolatis, et ab omni omnino sorde mundetis in omni patientia, et doctrina. Super omnia tamen frangite panem parvulis, ut Fidei mysteriis, bonisque moribus mature imbuti, ii in tempore sint, qui religionem, ac pietatem magis, magisque in dies diligere, et colere videantur. Ita in Domini vinea sine intermissione laborantes, et uberiores semper referetis fructus, et cum Pastorum Princeps apparuerit, percipietis immarcescibilem coronam gloriae.

Quid porro dicam vobis, *Sacerdotes ceteri*, *Levitae*,

et quotquot de Clero estis ? Nihil profecto aliud, nisi ut memores vocationis vestrae in sacrarum disciplinarum studia etiam, atque etiam incumbatis, simul et exemplum sitis fidelium in verbo, in conversatione, in fide, in castitate, in caritate non ficta, in longanimitate. Haec enim si egeritis, tunc certe non modo non vituperabitur ministerium vestrum, verum etiam eritis bonus odor Christi, qui undique afflans, mirum quam suaviter ceteros ad Christi fidem, atque ad salutis semitas alliciet!

Sed jam venite, audite me, *Filioli carissimi*, qui in Episcopali Seminario degitis, ut veram scientiam, quae nunquam a pietate dissociata, possitis addiscere. Vos Anconitanae, et Humanensis Ecclesiae spes maxima, vos germen pium, et novellum examen procul dubio estis. Initium igitur sapientiae vestrae sit timor Domini, et mores vestri ita conformati, sicut decet eos, qui id contendunt, ut exacto studiorum curriculo, se totos divino cultui dedant, et sacra obeant ministeria. Agite porro, sic currite, ut comprehendatis, utque Mater Ecclesia de vobis, tamquam de speciosa aliquando laetetur corona, neque unquam (quod absit) dolere cogatur: *Filios enutrivi, ipsi autem spreverunt me*.

Neque vero vos tacitus praeteream, immo honoris causa nomino, *sacrarum Familiarum Alumni*, qui ab adolescentia arctius vitae genus ingressi, quo facilius summum virtutis gradum obtineretis, et per vim postmodum a so-

litudinibus ejecti, tandem post tot discrimina rerum in vestras remeastis domos, vestrosque recessus. Probavit scilicet vos Deus, ut alacriores descenderetis ad pugnam, et victores semper discederetis. Manete igitur in vocatione, in qua vocati estis; et si Deus, a quo bona cuncta procedunt, dedit vobis, ut gaudenti animo bonorum vestrorum rapinam perferretis, cogitantes habere vos meliorem, ac manentem substantiam, conamini, quaeso, ut nunquam deficiat fides vestra, et ut perfecti sitis, sicut perfectus est Pater vester, qui in coelis est.

Post haec os meum patet ad vos, *Virgines Deo sacrae*, quae regnum mundi, et omnem ornatum saeculi despicientes, toto corde adhaesistis coelesti Sponso, qui pascitur inter lilia, quique vos a tabernaculis peccatorum segregatas, duxit in solitudinem. Equidem temperare a lacrymis non possum, easque admiscere vestris, quas ab hinc tot annis affatim effunditis super flumina Babylonis, dum recordamini Sion. Deus enim scit, quia non mentior, quo dolore afficiar, cum vos adspiciam extorres adhuc ab hortulis conclusis, fontibusque signatis, quo ab ineunte aetate vos contulistis, et solemniter vovistis: *Haec requies mea; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Sed jam dilatetur cor vestrum, quia cito aedificabuntur iterum muri Jerusalem, et Deus, qui exaudivit preces, et gemitus cordis vestri, absterget omnem lacrymam ab oculis vestris; prorsus ut tristitia vestra convertatur in gau-

dium, et gaudium vestrum sit plenum; siquidem optimam partem, quam elegistis, nemo tollet a vobis.

Decuriones, *Optimates*, et qui in sublimi positi estis, cavete, precor, ne, cum coelo nati sitis, nimium terrenis rebus vos implicari patiamini. Nolite avertere unquam aures vestras a clamoribus pauperum, sed faciles praebete eis semper manus, ut thesaurizetis vobis non thesaurum in terra, quo fur appropiat, et tinea corrumpit, sed thesaurum nunquam deficientem in coelo.

Postremo sermonem ad vos converto, quotquot estis vel in Civitate, vel in Dioecesi cujusque ordinis, sexus, fortunae, *Filii carissimi, ac desideratissimi*, vosque omnes paterno amore in Christo complector. Manete, rogo vos, stabiles semper in fide, et dilectione, et abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, juste, et pie vivite in hoc saeculo, ut filii lucis sitis. Mutuam praeterea in vobismetipsis caritatem continuam habete, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Educate Filios in disciplina, et correptione Domini, ut cum adoleverint, gaudio vobis sint, et auxilio, non moerori, et detrimento; familiae curam diligentem habete; dies festos, qui dies Domini sunt, omni pietatis, ac religionis sensu colite; diligite demum ex animo decorem domus Dei, et pavete ad templum sanctum ejus. Quae quidem si perficietis, uti vos obsecro in visceribus JESU CHRISTI, tum denique bona omnia venient super vos, et super domos, ac familias vestras. Accedet

illud, quod eritis exemplo omnibus, neque fides, ac re-
;io vestra vituperabitur ab iis, qui (equidem gemens
co) in tenebris adhuc sedent, et in umbra mortis. Im-
o vero, cum ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil
ıbentes malum dicere de vobis, heu! quam facile vestra
rtutum exempla suspicientes, ex errorum caligine in
:ritatis, ac fidei lumen venire contendent, ut, Deo opi-
.lante, fiat tandem unum ovile, et unus Pastor.

Sed quoniam neque qui plantat est aliquid, neque
ıi rigat, sed qui incrementum dat Deus, omnes simul
ı unitate fidei, et caritatis confugiamus ad auctorem, et
›nsummatorem ipsius fidei CHRISTUM JESUM, qui di-
xit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.
ccedamus ad thronum gratiae, et misericordiae, ut ju-
ıficati in sanguine ipsius, salvi facti simus ab ira per
sum. Oremus autem unanimiter, perseverantes sine inter-
issione, et in gemitu cordis nostri, et Sanguis Christi e-
undabit nos ab omni iniquitate, ac si fuerint peccata
›stra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Ut vero orationes nostrae sicut incensum dirigantur in
nspectu Dei, deprecatricem adhibeamus Deiparam Virgi-
m MARIAM, per quam omnia nos Deus voluit habere. Est
im ipsa Mater nostra, cui nos tradidit Christus in cruce
›riturus, ut sicut ipse apud Patrem, ita haec apud Fi-
m interpellaret pro nobis. Et certe si misericordiae Do-
ni fuit, quod in acerbissimis cum civilis, tum christia-

us Pontifici vere Maximo dies super dies adjiciat, eumque pro totius christianae reipublicae bono quam diutissime sospitet, ac tueatur.

Neque jam immemores estote mei, qui non cesso pro vobis omnibus orans, et postulans, ut ambuletis semper digne Deo per omnia placentes. Orate scilicet, ut qui arcano suae providentiae consilio dedit mihi ministerium salutis, et fecit me Pastorem populo suo, idem ipse Deus mittat mihi sedium suarum assistricem sapientiam, quae mecum sit, et mecum laboret, et sciam, quid acceptum sit apud Deum, possim ut esse Minister, ac dispensator fidelis mysteriorum Dei, et multiformis gratiae ejus.

Haec pauca, *Ven. Fratres, et dilectissimi in Christo Filii*, per Epistolam, plurima tamen manent in corde. Quamquam Epistola mea vos estis scripta in corde meo non atramento, sed spiritu Dei vivi. Itaque paterno in Christo vos omnes amore complexus, Pastoralem omnibus benedictionem impertio, Deum enixe adprecatus, ut *gratia Dei, et communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis*. Amen.

Dabam Romae extra portam Flaminiam XVII. Kal. Junias, quo die Titulo SS. Nerei, et Achillei auctus, an. MDCCCXXIII.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiss. Pat. Magist. Sacr. Palat. Apos.

Jo. Della Porta Patriarcha Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Dominicus Piazza Ord. Praed. Mag. et Soc.
Rmi P. Mag. Sac. Pal. Apost.